

K 76 XI: (1) Item firmiter archiepiscopo predicto eiusque successoribus applicanda.

(2) Prohibemus insuper sub pena banni nostri imperialis, quod contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, ne quis, cuiuscumque status, condicionis vel eminen-
cie fuerit, ecclesias, monasteria, capellas seu eciam quolibet alia pia loca divino cultui deputata in Treverensi dyocesi constituta incastellare quovis modo audeat vel presumat absque archiepiscopi et suorum successorum predictorum licencia litteratoria speciali.

XVII. Betr. geistliche Benefizien und Spolienrecht.

K 46 XVII: (1) Item volumus et declarando adicimus, quod ad omnia beneficia ecclesiastica, curata vel non curata, quecumque sint, sive prelature sive alia, que nos et nostri successores Romanorum reges vel imperatores ratione regni Romani vel imperii conferre vel ad ea presentare, dum vacant, in dyocesi Treverensi habuerimus, et quorum collatio seu presentatio ad nos vel nostros predecessores Romanorum reges vel imperatores in dicta dyocesi hactenus pertinuisse dinoscitur aut imposterum pertinebit, quociens dicta beneficia vacare contigerit, ad ea personas ydoneas prefato archiepiscopo suisque successoribus presentare debemus et tenebimur pro institutione seu investitura beneficiorum huiusmodi optinenda, cum beneficia ecclesiastica sine institutione canonica, per quam ius confertur in eisdem, et que per prelatos ecclesiasticos fieri habebit, non possint licite retineri.

(2) Ceterum bona post obitum archiepiscoporum dicte Treverensis ecclesie per eos relicta, in quibuscumque rebus consistant, semper successori proximo debebunt integraliter cedere et servari nec ea fisco nostro aut cuiusvis alterius usui vendicabimus nec sustinebimus vendicari; sed si de eis aliquod testamentum fecerint, id volumus esse ratum¹.

*1354 Jan. 8 (B.-Huber 1730): (1) Cupientes itaque, ut persone idonee ad laudem altissimi ecclesiasticis preficiantur beneficiis, memorato archiepiscopo suisque successoribus duximus concedendum sacris nos in hac parte canonibus conformando, quod nos nostrique successores ad omnia beneficia presentare volumus debemus . . . retineri.

1) Vgl. hierzu § 1 des 'Priv. in fav. etc.'.